

+ + N E C R O L O G I A + +

† R. P. Iosephus Clemens Heinrich (1891-1941)

*(Prov. S. Pauli)*



Liceat nonnulla de hoc confratre benemerito dicere, etiamsi iam anni novem post mortem eius elapsi sint, quia vicissitudines bellicae publicationem necrologii prohibuerunt.

Donatus parentibus piis, sed pauperibus, in provincia Suabiae, Germaniae Superioris, die 26 mensis mariani 1879 natus est. Ab infantia vocem Dei ad altiora vocantem audivit. Caritas christiana amitae erga alium iuvenem, qui ea coadiuvante in

nostrum Institutum ingressus est, a P. Provinciali Garsensi admissionem pueri Iosephi in iuvenatum obtinuit. Redemptoristae per leges iniquas, vulgo « Kulturkampf », e Bavaria expulsi in pago Austriae Dürrenberg iuxta sanctuarium B.M.V. iuvenatum statuerunt. P. Heinrich in brevi autobiographia annotavit, quomodo omnia facta notabilia vitae suae diebus festivis et sanctuariis mariannis annexa essent. Sic die Nativitatis Virginis 1891 iuvenatum ingressus est. Unus Lectorum, qui postea vestem alfonsianam depositus, vocationem nostri iuvenis quasi naufragio exposuit. Sed Providentia paulo post dedit Superiorem, qui amore vero paterno diligebat iuvenistas, et rigorem observantiae suavitate et prudentia directionis mitigabat. Anno 1898 perrexit in novitiatum. Ad pedes Virginis miraculosaे Dürrenbergensis habitu Congregationis induitus est. P. Frankenberger, sodalis eximiae sanctitatis ed vitae interioris, erat Magister. Die Nativitatis Mariae Virginis ad vota admissus est. Proximo die in iuvenatum regressus, per biennium cursus humanitatis complevit. Facto examine publico maturitatis cum aliis clericis in studentatum austriacum profectus est ibique studiis philosophicis et theologicis operam dedit.

Versus finem studiorum a Superiore Generali permissionem expoposcit emigrandi in Vice-Provinciam Brasilianam. Die 23 Augusti 1903, duce Pl. R. P. Gebhardo Wiggemann, in terram sanctae Crucis appulit. In festo VII Dolorum B.M.V. mense sequenti ab Excmo et Revmo Iulio Tonti, Nuntio Apostolico, in civitate Petropoli ordinem subdiaconatus et paucis diebus post alios recepit. In festo S. Francisci in sanctuario Virginis Prodigiosae Aparecidae primam Missam cantavit. In annotationibus huius diei neosacerdos laetitiam cordis manifestat his verbis: *Quid retribuam... Magnificat anima mea Dominum.* P. Heinrich tunc iubetur teneras plantas horti alfonziani colere. Educatio religiosa iuventutis masculinae inter principales

aspirationes eius invenitur. Per multos annos totum se devovit iuvenibus nostris ut Lector, Socius et Director et variis in paroeciis fundatione « Circuli S. Ioseph », cui ipse statuta omnino convenientia dedit cum approbatine Superiorum. Praeter solidam instructionem christianam inventae praebuit conventus recreativos, festa musicalia, representationes scenicas, ludos globuli, *football* etc. Etiam si P. Heinrich in sole aliquantulum fortis et aspero pollebat, optimun tamen cor possidebat.

P. Clemens, ut in Brasilia appellabatur, saepenumero verbum Dei populo annuntiavit tum in ecclesiis nostris tum in missionibus et exercitiis spiritualibus.

Per varia triennia munere Superioris domus et Vice-Provincialis functus est.

Carissimus hic confrater noster toto cursu vitae optimo fuit exemplo, eximio amore erga B.M.V. et orationis spiritu excelluit et inflexibili voluntate, et mira assiduitate educationi iuvenum in iuvenatu, sodaliciis religiosis et missionibus adlaborabat.

In ultima infirmitate spiritum abnegationis et orationis demonstravit. Optime praeparatus in vigilia Nativitatis Domini Nostri a. 1941 vitam finivit. R.I.P.

P. HECKENBLAICHNER